Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ese dentes intra cubilia sua et operi ac meditationi studium pariter inpendentes. cum signum aliquod audierint ~~orationem~~ adorationem eos. seu ad opus aliquod inuitantis. certatim de cubilibus suis unusquisque e prorumpit. ita ut ille qui opus scriptoris exercet quam repertus fuerit inchoasse litteram finire non audeat. sed in eodem puncto. quo ad aures eius sonitus pulsantis signi aduenerit summa uelocitate prosiliens. ne tantum quidem more interponat quantum cepti apicis consummet effigiem. Ita sane uirtutem in ceteras institutiones eorum magnam esse cognouimus. quod nulli scilicet cistellam nulli peculiarem sportam. nec aliud aliquid quasi proprium liceat possidere. sed nec uerbo quidem audeat quis dicere aliquid suum.

IGITUR in septimana cuiusdam fratris qui officio coquine deseruiebat. cum preteriens prepositus monasterii trina grana lenticule iacere uidisset in terra. que fratri festinanti ad coctionem preparari inter manus cum aqua qua lauabantur elapsa fuerant. confestim super his abbatem consulit. Tunc frater ille uelud interuersor et neglector sacri peculii iudicatus ab oratione suspensus est. cuius negligentie reatus non aliter ei remissus est. nisi eum publica penitentia diluisset.

NOVI alios fratres in quorum septimana cum accidisset tanta lignorum penuria. ut non esset penitus unde soliti cibi fratribus pararentur. et donec possent coempta deferri ut xerofagia contenti essent. abbatis fuisset auctoritate preceptum. essetque hoc uniuersis placitum. nec quisquam posset ullum co